HVGONIS DONELLI IVRISCONSVLTI COMMENTARII AD TITVLOS CODICIS, De pactis, & De tranſactionibus.

BITVRIGIBVS,

Apud Petrum Bouchierium, ſub ſcuto Baſilienſi.

1572.

MAXIMO ET SAPIENTISSIMO GALLIÆ CANCELLARIO MICHAELI Hoſpitali Hugo Donellus S. P. D.

DECEBAT *fortaſſe, maxime & ſapientiſsime Cancellarie, ſcribentem ad te, de iure ciuili præſertim, in primis dignitatis, amplitudinis, & præſtantiæ iſtius tuæ habere rationem: ſcilicet vt in quo intelligeret ſumma eſſe omnia, & propè ſingularia, itidem daret operam vt in re ſeria, atque in arte maximè omnium tua, ne quid ad te, niſi dignum amplitudine iſta, dignum iſtis literis, iſto iudicio tuo, iſta denique rerum omnium maximarum cognitione afferretur. Quod ſi à me poſtulatur, non ſanè fuit, cur ſcriberem. Quid enim iſtis rebus dignum non dico hac tenui opera; ſed vlla arte, vllo ingenio, vlla ſcribendi accuratione afferre, aut conſequi potuimus? Minores nos, quàm vt ad iſtam dignitatem liceat aſſurgere: & tu maior, & excelſior, atque illuſtrior in omnes partes, quàm vt non ego tantùm, qui poſſum minimum; ſed doctiſsimi etiam, & ſummi homines facilè iſtam lucem & ſplendorem*

HVG. DONELLI I. C. COMMENT. AD TITVLVM C. DE PACTIS.

ARGVMENTVM TIT. DE PACTIS. *IN EO, QVID SIT PACTVM,* ET PACTIO; *quid conuentum, & conuentio; & quid coniunctim pactum conuentum, quæ verba appellantur in edicto.*

DE vi pacti, omniſque conuentionis edictū eſt à Pręrore propoſitum, quod ſub hoc titulo cum in Pandectis, tum in Codice explicatur. id edictum eſt, quod proponitur in l. Iuris gẽtium. §. Prætor ait. D. eo. Eius edicti duę ſunt partes. vna, qua Prætor pollicetur ſe pacta ſeruaturum: altera, qua pollicetur ſe quædam non ſeruaturum. in quibus nominatim excipit ea, quæ dolo malo facta erunt, & quæ contra leges. In priore parte ingens occurrit dubitatio ex eo, quòd pro iure certo traditum ſit, ex pacto actionem non naſci. l. Iurisgentium. §. Sed cum nulla. §. quinimo. D. eo. l. legem. C. eo. hoc enim poſito, quæritur primùm, an videatur id cum edicto conuenire, in quo Prætor pollicetur ſine exceptione ſe pacta bona fide facta ſeruaturum. Deinde ſi quędam valent, quædam non valent, magna quæſtio eſt, quomodo, quáve nota hęc genera diſtinguamus,

Excudebat Petrus Bouchierius
Biturigibus.

1572.